



VOTA
PRO SALVTE
SERENISSIMI ET CLEMENTISSIMI
PRINCIPIS
FRIDERICI AVGVSTI

ELECTORIS ET DVCIS SAXONIAE
ETC. ETC.

NATALI IPSIVS DIE

XXIII. DEC. 155 CCLXVIII

EA, QVA PAR EST, PIETATE OBSEQVIOQVE

SVSCEPTA

A

SCHOLA ANNAEMONTANA
QVEM ACTVM SOLLEMNEM

HUMANISSIME INDICIT

M. IO. CHR. GOTTLLEBER
RECT

PRAEMITTITVR DISPVATATIO BREVIS DE PRINCIPE PHILOSOPHO

ANNABERG AE
EX OFFICINA AVG. VALENT. FRISII




MECH
СЛУГА СЛАВЫ
ИМЕНИ СВЯТОГО МИХАИЛА
БРИГИДЫ
ПРЕДСТАВЛЯЕЩИЙ
ЕЛЕКТОРИС ТЕ ДАСИ САМОИЛА

СИГ 241291 ПЛАТЫН
ИМЕНИ СВЯТОГО МИХАИЛА
БРИГИДЫ
САМОИЛА


А
АМАРИЛЛИСА БОЛОДО
МЕДАЛЮ СОЛНЦА МЕЧ
СЛАВЫ
СВЯТОГО МИХАИЛА
БРИГИДЫ
САМОИЛА

СИГ 241291 ПЛАТЫН

СИГ 241291 ПЛАТЫН
ИМЕНИ СВЯТОГО МИХАИЛА БРИГИДЫ САМОИЛА



Si villa res, ad cognitionem pulchra et ad fructum
vberima, humano ingenio digna est, haud
scio, an philosophia, illa diuinorum humana-
rumque rerum scientia, omniumque discipli-
narum regina, sit longe excellentissima. Qua
ratione enim nostrae intelligentiae vis melius
acui, et ad inuestigandum verum magis idonea reddi, animus vero
ipse nobilissimis praeceptis ali, et ad virtutem colendam magis
instigari potest, quam hac diuina institutione? Vnde, quum ido-
neam complexa est naturam, maior in omnem vitam et societatem
humanam redundat utilitas? Quod si recte tractata, et cum puriore
religione, tanquam arctissimo aliquo vinculo coniuncta, omnis vi-
tae nostrae lex est, qua animus excelsus, fortis, cupiditatibusque
liber efficitur, nec priuatis modo, sed et summis viris, in luce ho-
minum



minum versantibus, rempublicamque administrantibus, haud vulgariter prodest; operaे pretium facturus mihi videor, si de *Principe philosopho, et de commodis, in rem publicam ex eius institutis pertinentibus*, differam.

Et si non sum nescius, maximos omnis antiquitatis viros, e quibus modo *Platonem* et *Ciceronem* nominare mihi liceat, excellenter philosophiae laudes expressissime, ut, si oculis cerni posset, mirabiles eius sectandae amores excitatura esset; meque ingenio, doctrina, atque auctoritate illis magnis nominibus esse longe inferiorem: ille tamen *DIES*, toti Saxoniae nostrae laetificus, quo soles melius nitent, et qui **AVGVSTO ELECTORI, SPEI et EXPECTATIONI SAXONIAE DVLCISSIMAE** est *NATALIS*, mihi patrocinatur, quod hanc scribendi materiam tam grauem atque copiosam, mihi sumserim explicandam. Consolatur me praeterea spes quaedam, fore, ut, eti me valde imparem huic proposito sentiam, tamen voluntatis momenta ad suscipiendam hanc rem iusta, aequi bonique consultum iri credam. Etenim, quum eiusmodi tempora incident, quibus, quid faciendum sit, declarari debet, quo viris principibus et intelligentibus probemur, non tam rem ipsam per se, sed quod a nobis, bonae voluntatis consciis fit, acceptam volumus, ut inde mens proba et pudica intelligi possit. Quae et caussa est, cur schola nostra, hunc animum devotissimum audeat hocce die, quo omnes boni, totiusque Saxoniae ciues, AVGVSTO, DELICIIS ac AMORI SVO, laetitiam non modo testificantur bonis verbis liquidam, sed et ad nepotes et feros posteros, in memoriam rei sempiternam, propagari volunt, leui hoc munusculo probatum ire; non immemor illius Persae, qui, ne solus apud Artaxerxem, sibi obuium, offerendis donis esset exclusus, aquam, vtraque manu haultam, regi obtulisse, et gratiam apud eum maximam iniisse fertur. (Ael. V. H. I, 32.)

Ingressuri hanc de *principe philosopho* disputatiunculam, mores eiusmodi philosophi definiendi ac describendi primum videntur,

tur, ne in reprehensionem eorum, quibus nomen philosophi admodum leue, et non satis principum virorum persona dignum videri possit, incurramus. Nostris enim temporibus, quibus illud arctioribus iusto limitibus circumscriptum est, ut plerique philosophum, doctorem umbraticum, subtilibus quaestiunculis delectantem, et supercilio rugisque submorosum difficilemque cogitent, magnifica illa et sublimis notio, quam veteres philosophiae subiiciebant, vere euauit. Olim non scholae solae, vt hodie fit, sed et res publicae sibi philosophos, sapientes viros, qui modestiae causa sic dici nollent, vindicabant, qui, cum premerentur inopes ab opulentis, eos iniuria prohiberent, aequitatem, legibus praeclaris constituendis, quibus infimi, pari iure essent cum ditionibus; nec ii expertes illius elegantiae, quae humanitatis litteras egregie cum philosophia, tanquam arctissimo vinculo copulat, erant; vt sunt plurimi nostrorum philosophorum, qui iejune satis super rebus grauibus disputant; sed iis accommodate, praeclare dicta cum hominibus sic communicabant, vt altas in animis radices agerent. Praeterea illi homines, si a Sophistis, ineptis nugarum captatoribus, iisque qui de natura summa subtilitate disputabant, discesseris, sapientiae, prudentiae ciuilis, ad rempublicam bene bell'i pacisque temporibus gerendam, et omnino earum rerum, hominum societati salutarium, studiofi, praeclara praecepta Socratica ad rem publicam accommodabant: vt antiquitas magnos principes, legumlatores, belli duces, legatos, philosophorum nomine insignitos, posteritati commendare posset. Perfectos ideo homines, qui ciuilem prudentiam cum philosophia coniunxerint, habet Plutarchus (in Inst. puer. IX.) et, ita Periclem, Dionem Syracusanum, Epaminondam, reipublicae praefuisse, obseruat. Non minus studium quoque illi sapientes in noscendis hominum moribus collocabant; qualem fuisse fereunt Vlyssem, qui multorum prouidus, mores hominum et vrbes vidisse dicitur, vt a summo omnis actatis poeta, habitus sit dignus, qui vtile nobis exemplar proponeretur, a quo, quid virtus et sapientia posset, edoceremur. Nec excludebant veteres illos e numero philosophorum, qui vsu et vita, non praeceptis essent sapientes; qualis bonus ille Ofellus Horatianus, abnormis sapiens,

a 3.

pingui



pingui crassa que Minerua fuisse fertur, et quales fuerunt, *Valerius, Fabricius, Curius et alii.* Vnde, quum notio philosophiae tam late pateat, vt et res diuinae, quas tractant Theologi, sub ea comprehendantur, (Ios. Ant. XVIII, I. B. I. II, 8.) nec tam verborum, quam honestarum rerum studium, et pulchra facta ea contineantur, vt praecclare ait *Dionysius Halicarnassus;* (XI, p. 685.) facile intelligi potest, ipsos principes, ad hanc rationem formatos, itaque ad inuestigandum et cognoscendum verum, quod summum philosophi est munus, vt ait *Plato* in V. *Reipublicae* suae, educatos, appellari philosophos. Beatam enim tum rem publicam loco laudato (p. 422.) ait sapientissimus auctor, quum aut philosophi regnent, aut principes philosophentur: quae sententia in ore Antonini philosophi semper fuit. (*Capitol. c. 27.*) Notione igitur satis et perspicue, ut opinor, e mente veterum enucleata, quisque facile dabit, philosophiae laudes summas non excedere verum, sed nil dulcius esse

— bene quam munita tenere
Edita doctrina sapientum tempa serena
Despicere unde queas alios, passimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae,
Certare ingenio, contendere nobilitate,
Nocteis atque dies, niti praefante labore,
Ad summas emergere opes, rerumque potiri —

Bene nouerat hanc philosophiae praestantium, praeter vitae magistros Graeciae, *Socratem, Platонem, Aristotelem*, e latinis *Cicero*, qui eorum studiorum aemulus, horum praecclare dicta in suos libros, tanquam hortum aliquem, tam feliciter transplantauit, vt tam sub Italiae, quam Graeciae coelo, tam pulchros fructus ferrent.

Sed age, moribus philosophi vtcunque adumbratis, videamus nunc, quid principis, si philosophi aut sapientis nomen atque dignitatem tueri velit, esse videatur. Duabus autem rebus principis philosophia continetur, vt animum partim praeclara rerum, tum diuinarum tum humanarum cognitione imbuat et assuefaciat,

faciat, partim bene et egregie factis, quibus philosophiae verus
 nitor et splendor elucet, subiectis suis se probet. Rerum subti-
 lium, intricatarum, saepius quoque inutilium, nulliusque assis
 cognitionem, non facere eum, quem dicimus philosophum, vel
 inde intelligi potest, quod nihil ad bene beateque viuendum, alios-
 que, quos inopia et calamitate oppressos videmus, adiuuandos
 confert. Quid igitur principis inter sit, scire non modo, sed et
 contra aduersarios tueri placita de mundo optimo, spatio vacuo,
 harmonia praestabilita, aliasque quaestiunculis infinitis, quae relin-
 quendae sunt scholis? Maiora et grauiora principi tenenda sunt,
 ex ea philosophiae parte, quam *Socrates*, parens ac Deus philoso-
 phiae, vt a *Cotta* apud *Ciceronem* vocatur, primus de coelo deuoca-
 uit, et in vrbibus collocauit, et quae tota in imperio potest expli-
 cari. Instruit illa principem, vt, cognitione de Dei natura rite
 imbutus, illi reddat suam maiestatem, et bonitatem, vt ait *Seneca*:
 (ep. 95.) quo timore, auctore omnium sapientissimo principe, sapi-
 entiae initium cernitur. Quodsi princeps a se impetrat, Deum
 timendum, omnem spem fiduciamque in eo collocandam, et, omnia
 nutu eius geri, conseruari et gubernari, confidit: semper pio et
 composito ad grauitatem vultu, de benignitate, sanctitate et iusti-
 tia diuina cogitat, se suaque omnia eius numini permittet, et hac
 consuetudine, quae illi intercedit cum Deo, mentem sanctiorem
 et puriorum reddit: qua cura nulla ei erit prior antiquiorque.
 Nescire enim quid sis, cur constitutus sis in hanc terram, quid tibi
 agendum omitendumque sit, quibus remediis animi morbis medearis,
 tibique a vehementioribus animi motibus temperes; turpe dicitur
 cuius homini, nedum principi, quem Deus vicarium in his terris
 maiestatis et potentiae suae esse iussit. Ut enim nemo sibi, sed
 aliis, non suis propinquis amicisque, sed humanae societati natus
 est; quanto magis princeps, cui salus et felicitas plurimorum com-
 mititur? (cf. Cic. Fin. II, 14.) Quae omnia cum philosophia tra-
 dat; tum nescio, quae disciplina hominum generi praeclarior, fa-
 lutariorque existere possit. Illa enim est, auctore *Cicerone*, (Tusc.
 V, 2, et L. II, 5.) multa paucis complectente, vitae dux, virtutis in-
 dagatrix, expulerixque vitorum, inuentrix legum, magistra morum et
 disci-

disciplinae: sine qua non modo nos, sed omnino hominum vita nihil esse potest; quae urbes peperit, dissipatos homines in societatem vitas conuocauit: quae extrahit vitia radicibus, et praeparat animos ad satus accipendos, quibus ea mandat et quasi serit, quae adulta fructus uberrimos ferant. Quae cum ita sint, vere cum Platone dicendum est: nullum munus praestantius mortalium generi a Diis concessum esse, philosophia; praesertim si addas, christianorum, luce diuina collustratorum. Nam etsi prouidentia Dei singulari, in Graecia summi extiterunt philosophi, quos, ut scite animaduertit Clemens Alexandrinus, (Strom. I, et VII.) Deus tanquam doctores, ut in Iudea sanctissimos vates, constituerat, ut superstitionem abominandamque religionem e medio tollerent exstirparentque, et Graecia sibi valde hoc beneficium gratulari potuit: eorum tamen praecepta lubrica et non sati certa, non poterant illam animi tranquillitatem et felicitatem efficere, quam toties iactarunt. Quanto magis christianorum philosophia graecae et romanae praefstat, maioremque vim in animos nostros habet, quam praeclaras sententias Graecorum aut Romanorum nobis tribuimus, quam si eas ex eorum ore audiamus. Nonne sapiens christianus maiori animi voluptate afficiatur, cum illa Ciceronis animo volutet: unum diem bene, et ex praeceptis philosophiae actum, peccanti immortalitati esse anteponendum; et, philosophiam commentationem mortis esse, et alia innumera, quam ipse Cicero, quem hacc meditaretur aut scriberet, affectus fuit? Et haec tenus animus principis ea cognoscenda, non modo vitiorum animi correctionem ab ea petere posset, sed et pedetentim, meditando ita virtuti et honestati assuefcit, ut nihil, nisi quod honestum sit, utile ducat, et nihil honestum, nisi quod et ciuium utilitatibus inferire possit. Inde efficitur, ut, mente tam praeclaris praeceptis impleta, et exemplis, in rerum gestarum memoria, tanquam illustri monumento politis, instructa, per quae iter, ut aiunt, breuius et efficacius est, quam per praecepta, princeps, qui rem publicam capessere velit, eius sapienter administranda artes inde plenius ac melius, quam ediscendis magistrorum dictatis percipiat. Cyrus quidem moriens apud Xenophonem (VIII. Cyr. p. 187.) filios ad maiores amandans, hanc optimam disciplinam esse, arbitrabatur. Fuit anti-

antiquitas, et praeferunt Graecia et Italia, excellentium regum, imperatorum et ducum foecunda mater, quos Homerus, humanae sapientiae princeps, Herodotus, Thucydides, Plato, Xenophon, Polybius, Livius, Tacitus, aliique ad imitandum propofuerent, qui principibus auctores incorrupti et certissimi essent, quid in vita sua vel vita-
rent, vel ad communem hominum vilitatem sectarentur. In pri-
mis veteres Homerum, quem vnum omnem sapientiam, qua impe-
ria constant, optime complexum esse, credebant, in deliciis habu-
ere; vt satis notum est de Alexandro, (*Curt. Suppl. I, 4.*) qui eius
libros semper secum ferre, et, quum quiesceret, vna cum pugio-
ne sub ceruicali reponere solitus, militiae suae viaticum, et insti-
tutionem bellicae virtutis appellauit. Non minus magni aestimati
sunt Pindarus, Euripides Sophocles, et alii, quibus antiquitas nomen
philosophorum, non, vt actas nostra, inuidit; a sapientissimis
enim viris, Socrate et Platone lecti et amati fuere, vt ex Platone fa-
tis constat. Latini habuere suos Cicerones, Virgilios et Horatios,
qui plenius ac melius vitae philosophiam Chryslippo et Crantore
docecent, (*Horat. Epp. I, 2.*) habent et Galli, Germani, Angli sum-
mos viros, qui, eti non omnes philosophi dicantur et agnoscantur,
ingenii sui monumentis, ad graeca et latina exemplaria effigiatis,
et prosunt et delectant. Denique et principes philosophari viden-
tur, quum antiquitatis cognoscendae, exteras regiones, non vo-
luptatis, aut malorum morum inde in patriam inferendorum cauſa,
visunt, sapientis et fortissimi principis Germanici exemplo, (*Tac.*
II, 59.) qui, quod eiusmodi cognitionem ad gloriam honestatem-
que excitare, parandique vias ostendere sciret, Aegyptum hac de
cauſa profectus dicitur. Eiusmodi philosophos quoque non pu-
det, viros doctos sapientesque in contubernium admittere, eos-
que asfidua consuetudine et familiaritate dignari, quali *Plato* usus
est utriusque *Dionysii* et aliorum, insuper a ciuitatibus magnis
saepe sumtibus publice arcessitus; et multi alii nostris tempori-
bus, quorum nomina nihil attinet in medium afferre.

Restat, vt, quibus rebus philosophia principis sese exserat,
nunc differamus. Quodsi haec diuina disciplina animum, vt ante mo-
nuimus



nimis excelsum et prudentem reddit, facile intelligitur, illum, magnarum et graviorum rerum plenum, et velle eas cum hominibus communicare, eos beatiores reddere, et omnino bene de hominum societate mereri. Voluit et hoc *Aristoteles*, vt est apud *Ciceronem*: (*de fin.* 2, 13.) ad duas enim res, aiebat, hominem esse natum, ad intelligendum et agendum, quasi mortalem Deum. Deus enim est mortali iuuare mortalem, et haec ad aeternam gloriam via. (*Plin.* II, 7.) Et profecto nulla cogitatio dulcior esse potest, quam quum adiutum vel consilii, vel re ipsa vel sustentatum conseruatumque aliquem a nobis scimus. Magna res est, bene administrare rem publicam posse; at conseruare eam, vt *Ciceron* atrocissima illa *Catilinae* coniuratione patefacienda et vindicanda fecit, vt, qui corona ciuica, ob ciues, viuuerfamque rem publicam conseruatam donaretur, habitus sit dignus, longe maxima est gloria. (*Cic. in Pis. 3. Gell. V, 6.*) Quam praeclare itaque *Antoninus Pius*: *Malle se unum ciuem seruare, quam mille hostes occidere!* (*Capit. 10.*) Principi longe suauissima debet esse illa recordatio, se plurimis beneficiis, benignitate et liberalitate, miseros recreasse, pauperum curas leuasse, et debilitatem oppresfamque miseris temporibus rem publicam, in veterem libertatem et dignitatem vindicasse. In eo profecto principes gloriari prae caeteris aliis hominibus priuatis posunt, quod ampliorem caeteris beneficiendi copiam habeant, qua ipi, tanquam Dei in terris vicarii, et diuinae potestatis administrati, maxime Deum imitari possint. Deus enim notante *Philone*, (*de somniis p. 589.*) beneficiae virtutis nomen est, vt ipse, quem declarat maiestatem, solam benignitatem praedicat, seque sublimi patris nomine vult honorari; vt e plurimis locis *Veneris et Noui Foederis* intelligi potest. Quam praeclare hanc in rem *Plinius* (*Paneg. 21.*) de suo principe: *Itaque soli omnium contigit tibi, vt pater patriae esses, amequam fieres, eras enim in animis in iudiciis nostris: — quod quidem nomen, qua benignitate, qua indulgentia exerces, vt cum ciuibus tuis, quasi cum liberis parens, viuis. — Augustus quidem a lacrimis temperare sibi non poterat, nomine patris patriae a Senatu per Messallam ei delato, quod, cum Romanos benignitate sua mirifice adfectos videret, compotem votorum se factum fate-*

fateretur. Num alia de caussa Cicero hoc nomine, tanquam lau-
rea, omnibus triumphis maiori, ut Caesar pronuntiavit, honora-
tus fuit? Et quare Titus, amor ac deliciae humani generis ap-
pellatus est? Poterat ille maximus imperator voce vnquam piae-
clariori quam hac vti: *Amici hodie diem perdidit*, (Suet. 8.) quum
quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die paeſtitifset,
recordaretur? Licuit illi otioso esse, horasque bonas lufui ac aliis
ludicris dare vel

Ad sripitum citharae ceſſatum ducere curam:

sed, nulla alia re magis quam beneficentia imperium stabile, vt
diuturnum, ciues maiori fide fore, hostes vero efferatos odio
iraque, vinci posse sciebat. Quae remedia conciliandi ſibi amoris
etiam habuisse perhibetur Marcus Aurelius, qui ex malis bonos, ex
bonis optimos fecit. (Capit. 12.) Tantos vberrimosque fructus
 fert philosophia, cui Cicero omne, quicquid ad rempublicam attule-
rit, acceptum refert. *Nos ipſi, inquit*, (Off. I, 44.) — *ſi modo*
aliquid ad rempublicam attulimus, a doctoribus atque doctrinā instructi ad
eam et ornati accessimus. Quin, Socrates, Plato, Xenophon, Aristoteles,
huius vere magni viri doctores, ab augendis hominum vtilita-
tibus et commodis ipli non recesserunt, sed patria, domi forisque
consilio, iuftitia, et sapientia defensa, quod longe maximum videtur,
vitae sanctitate, multis, quo meliores fierent ciues, profuerunt.
Quorum exemplum, quum non tam similitudine doctrinae, quam
potius rebus et factis, quibus vera ac certa laus stabilitur, expri-
mere vellet Tullius, materiam gloriae, quam illi tempora reipubli-
cae funesta, et acerbissimus illius casus, furoresque inutilis illius
ciuis suppeditabant, vberimam inuenit, et, peste a patria depulsa,
sapientissimi viri nomen immortalitati tradidit. Quibus rebus
egregie prudenterque gestis palam factum est, sapientiam vitae du-
cen esse, quae maximos viros impellat, vt commodorum fuorum
obliti, vtilitatem ciuium tueantur, et, quaecunque agunt, ad eam
referant. Eandem gloriam Demoflēnes, Thucydidis disciplina ad
salutem patriae accommodanda, qua Athenae Philippo inuictae vi-
derentur, ſibi peperit. Plura possem ex rebus Graecorum Roma-
norūque gestis exempla laudare, ſi in re clarissima, quam omnia

tempora testantur, opus esset aliqua luce. Sed non modo recte factis, quae benignitas et altitudo quaedam animi praecipit, eorumque qualis fons est, sed et iis, quae iustitia et iuris aequabilitas gignit, haec philosophia principis continetur. Si enim ciuitatem tutam saluamque velit; eam praeclaris institutis legibusque, quarum fundamentum sit iustitia, quae cuique suum tribuit, temperet necesse est: quibus solis hominum societas conseruari, dissipatiique homines in communionem possunt conuocari. Quae si ab ipsa natura sunt haustae atque expressae; nec tam scriptae, quam natiae: nec annuae, sed aeternae; non modo aliquot lustris, sed toti posteritati prosunt. Eiusmodi legum lator auctorque fere idem facit, quod ille diligens agricola, qui arbores, qui futuro seculo prodeissent, serebat; admonituque *Cyri*, (*Xenopb. Cyrop.* VIII. p. 187.) sapientissimi regis, posteritatem, ad quam omnia eius bene facta pertinent, colit atque veretur. Legibus autem, quae, ut ait *Cicero*, cum omnibus semper vna atque eadem voce loquuntur, et tanquam muti magistratus sunt, sibi suisque optime consulit: absque ira enim puniunt superbos, et a tenuioribus iniuriam arcent, oppresis perfugium atque solatium praebent, nec, ut cupidi principes corrumpi se patiuntur, sed aequo pede quasi, reges infimosque vel puniunt, vel defendunt. Graeci, qui legislatores habebant eximios, praesertim sapientes illos septem, non a contemplativa, sed vitae philosophia, a legibus egregiisque institutis sic dictos, exteris gentibus, in primis Romanis, ad se describendarum legum causa venientibus, eas concederunt; quae tamdiu Graeciam Romamque florentem opibus reddiderunt, quamdiu eas principes, quibus cura Reipublicae gerendae delata erat, seruarent. Et quid denique dicam de legibus diuinis, quae, omnibus numeris absolutae et perfectae, maximo honore cultuque fuere, sunt, eruntque: de quarum sanctitate et perpetua utilitate dicere hic nihil est opus. Quam bene igitur princeps philosphus, cum sibi tum aliis, his egregie factis, breuiter enumeratis, satisfacit, et viam ad immortalitatem sibi munit; qua non cum ipsa vita eius gloria terminatur, sed cum omni posteritate adaequatur. Maximum vero omnium periculorum et laborum, quibus

bus se dies noctesque exercuit, praemium, bonis iustisque viris
sancte promissum, manet eum tum, quum Deus in die illo extre-
mo iultus iudex suum cuique tribuet.

Sed his missis, ad TE, CLEMENTISSIME
PRINCEPS, mea nunc se vertat oratio. Etenim TVA,
ELECTOR SANCTISSIME, singularis clem-
tia, NATALI TVO DIE, scholae nostrae animum
viresque addidit, vota cum SAXONIA TVA, pro TE
TVA que salute, incolumente vitaque longissima, pro
V N I V E R S A D O M O C E L S I S S I M A,
ea, qua par est pietate et animi submisione, suscipere. Deus,
humanarum rerum arbiter, festinavit, summas animi TVI virtu-
tes, quae, TE eiusmodi principem sapientem, qualem Plato vole-
bat, esse, abundantissime produnt, ad gubernacula reipublicae,
quam nuper auspicato suscepisti, admouere; et si pro TVA pie-
tate optaueras, ut quam tardissime succederes P A T R I,
OPTIMO ET MAXIMO PRINCIPI
quem fata terris modo ostenderunt. Precamur ergo supplices
Deum, ut omnibus coeptis, dictis factisque TVIS, numen suum
annuat, domumque Saxoniae celum, semper opibus floren-
tem esse iubeat. Fortissimum, potentissimum et hilarem TE,
SACRATISSIME PRINCEPS, optamus et
pie vouemus.

Nomi-

AKT 1454

Nomina discipulorum piorum, pro salute **FRIDERICI AVGVSTI** vota nuncupantium, haec sunt:

I. CAROLVS FRIDER. ZIZMANN, Annaberg.
inquiret in caussas, cur boni principes patres patriae dicantur, orat. graec.

II. CAROL. FRID. FLATH, Geyersdorp. de bono atque felici principe dicet lat. orat.

III. CHRISTOPH. SCHREITER, Neundorp. *Landes AVGVSTI ELECTORIS nostri, carm. heroiic. canet.*

IV. CAROL. FRID. ILLIG, Lautera Misn. *felicitatem ciuium, sapienti principi subiectorum, adumbrabit carmine theotisico.*

V. IO. EHREGOTT OESTERREICH, Gelenau.
de philosophia vitae lat. orat. perorabit.

VI. IO. SAMVEL SEIDEL, Wiesa Misn. *de vi et potestate nominis Aug. or. lat. declamabit.*

VII. WILHELM. LAVR. SCHREIBER, Mauersberg.
Vota pro salute ELECTORIS CLEMENTISSIMI suscipiet. orat. vernacula.

Vt igitur hos iuuenes declamantes et vota pro **OPTIMO PRINCIPE**, facientes, audiant EPHORVS SVMME VENERANDVS, SENATVS AMPLISSIMVS, ET ALII REI LITTERARIAE AMANTES, summo opere obsercramus, Scripti Annabergae a. d. XII. Dec. c^occ lcc LXVIII.



II
454

VOTA
 PRO SALVTE
 NISSIMI ET CLEMENTISSIMI
 PRINCIPIS
 ERICI AVGVSTI
 TORIS ET DVCIS SAXONIAE
 ETC. ETC

TALI IPSIVS DIE
 XXIII. DEC. CLXVIII
 QVA PAR EST, PIETATE OBSEQVIOQUE
 SVSCPTA

A
 SCHOLA ANNAEMONTANA
 ACTVM SOLLEMNEM
 HVMANISSIME INDICIT
 IO. CHR. GOTTLER
 RECT

ITVR DISPVATATIO BREVIS DE PRINCIPE PHILOSOPHO

ANNABERG AE
 X OFFICINA AVG. VALENT. FRISII

